

16411.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSIO-  
LOGICO - PATHOLOGICA

SISTENS

ADDITAMENTA NONNULLA

AD HISTORIAM PATHO-  
LOGICAM PILORUM  
CORPORIS HUMANI

CUM

BREVI PILORUM COMMENTIONE

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

UT

SUMMI IN MEDICINA HONORES  
RITE SIBI

CONCEDANTUR

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*AUGUSTUS GUILIELMUS FRANK,*

VERRO - LIVONUS.

---

DORPATI LIVONORUM,  
TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI,  
MDCCCXXXII.

**I m p r i m a t u r**

haec dissertatio ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, quinque exemplaria collegio ad libros explorandos constituto tradantur.

Dorpati die XXI. Maji MDCCLXXXII.

Dr. Sahmen.  
h. t. Decanus.

## **CAPUT PRIMUM.**

### **Sectio anatomica.**

**P**ili sunt corporis humani partes fila constituentes magis minusve longa, at pro longitudinis modo tenuissima, cylindracea, laevia, tenacia, elastica, flexibilia, sensus expertia, hygrometrica, ideoelectrica, cornea, putredini non obnoxia, basi crassiore, molliore, superficiei partium insita, apice vero magis tenui, duriore, acuminato libera.

E pilorum proprietatibus potissimum hujus singularis mentio fiat, quod multorum cadaverum capilli per plurima saecula ab omni fere perditione sarti et tecti conservantur: pro cujus rei testimonio plurima exempla et antiqua et recentiora dicunt. Ut unum exemplum ex compluri-

D 17759

bus afferam Tulliolae, Ciceronis filiae, capilli usque ad Sextum Quartum, Pontificem Maximum (1), sive, uti aliorum fert opinio (2) usque ad Pauli Tertii, Pontificis Maximi tempora in infula aureâ conservati, ex temporum illorum more ornati iique sic inventi feruntur.

Pilus e tribus constat partibus, e sacculo, bulbo et trunco.

Egreditur pili pars maxima e tumore parvo, bulboso, qui radix — seu bulbus — seu bulbus interior — seu corpus ovale — seu radix bulbosa crinis — seu membrana glandulosa — nominatur. Quae pilorum radix est plerumque carnosa, coloris tum rubentis, tum cinerei, tum nigri, plerumque subovali attamen pro partium natura et loco, formâ diversâ. Capillorum, superciliarum, glandularum seu hircorum, pilorum pectoris bulbum clavæ formâ-oblongiori juli, tragorum et pilorum digitorum-globosâ ciliorum, vibrissarum, barbae et pubis Eble (3) vidisse narrat.

De vera bulbi structura est magna opinionum dissentio, nec tam facile dirimenda. E binis constare tunicis pilorum bulbum; altera externa tendinea, interna molli cum corticali cerebri substantiâ fere aequandâ, in hanc doctissimus Schirac (4) discessit opinionem; in longe aliam, atque in illam, Gaultier: (5) ternas esse bulbi tunicas: exteriores tendineas, anteriorem carnosam. Harum sententiarum auctorita-

tem potissimum e similitudine pilorum ceterorum animalium, teste Beclardio, petitam homines summa doctrinâ, plurimo etiam rerum naturalium usu usque ad nostrum saeculum sequebantur, (6) (7) a qua tamen Bichat (8) abhorruit, quippe quem non puduerit ignorantiam hujus rei posteriori altius investigandae fateri. — Eble diligenti investigatione sibi successisse confirmat, oculis cernere haec talia: quod si quis bulbum quemcunque in directionem velit, dissecuerit, exterius corticalem, partem fere trunci pilorum, at eam nitidam, albam, minus tenacem, interius medullarem substantiam, quasi pulvem cuneiformem in medullam pilorum abeuntem conspiciet.

Membrana tenuissima, perlucida, saccum ovalem formans bulbum et intimam, partem pili includens, plerumque strato adiposo, attamen pilorum tenuissimorum corio tantummodo insita, saccum s. capsulam bulbi format. Qualicunque vero sit materies capsulam cum bulbo jungens, num ulla talis existat, nec ne, multum inter rerum physiologicarum scriptores disputatum est — nec ideo definitum quid aut certum de ligamentis capsulam cum bulbo quasi jungentibus, est, quod habemus — nec quid certius illis de liquore has inter partes multorum opinionibus quasi diffuso, inter nos constat.

Quid de vasis et nervis pilorum dicam? — De quibus, quamquam a multis

eisque viris vehementer in arte probatis admittebantur, tamen acervus sententiarum potissimum de situ et distributione illorum factarum exstat.

Filamenti, seu trunci pilorum in exitu bulbi invenitur principium, angustius truncato, plerumque non semper in unum alternumve latus magis minusve inclinatum, colli nomine appellatum. Quod ubi cutem attigerit, eamque oblique perforarit, e bulbo egressum in filamentum sensim in apicem extenuatum abit.

De epidermide hic loci aliorum alia est opinio: quippe quam Ruysch (9) Kaauw (10), Haller (11), non perforatam, at filamentum quasi vaginam circumdantem sibi fingant — cui autem opinioni celeberrimus Bichat aversatur, primum, quod bulbi ac filamentum eadem esset crassitudo; deinde, quod, si pilum evellere coneris, non vehementer resistat; deinde, et quod caput est, quod ubi evulsus fuerit pilus, nihil prominentiae at potius impressionis aliquid in conspectum veniat.

Pilorum filamentum seu truncus constat e cortice albo, perlucido, fistulae formam, in quo includitur medulla. Hoc involucrum crinis — seu vagina pili — seu substantia corticalis, quam quoque corneam appellant, uti jam monitum, perlucens, in variis pilis variae est crassitudinis; epidermidi, si quis auctoritatem Bichatii (12) Eble (13), virorum doctissimorum sequeretur, solito densiori simillima, nec tamen

cellis instructa, quam ita esse fert sententia Heusingeriana. Ceterum a plurimis, qui magnam curam atque operam sibi posuerunt in investiganda pilorum structura, aculei quidam, immo etiam squamae (14) et describuntur et in tabulis delineantur, quos etiam Bichat, quamquam tales nunquam ipse vidisse confirmat, tamen ob implicationem incomptorum pilorum et certis quibusdam morbis affectorum omnino negari non velit. Obducitur, addo, trunci superficies adipe, per quam redditur nitida, lubrica, ita ut liquores aquosi difficilius ei adhaerere possint.

Medullae pilorum — seu substantiae internae — seu medullaris naturam per rei tenuitatem aciem nostram omnino fugere, at haec tamen, quasi veri simillima nos suspicari posse: medullam pilorum cortice inclusam constare e vasculis minimis, tenuissimis, materie pilos tingente repletis, vix, ac ne vix quidem motui subjecta. Hujus sententiae testis est integer celeberrimus Bichat. At plurimi rerum physiologicarum scriptores, inter quos primum obtinet locum Meckel e quinque et magis e bulbo profectis, cavis, liquore oleoso imbutis substantiam pilorum internam componi filis sibi fingunt; Mascagni (15) e vasis tantummodo liquores absorbentibus — Olivier (16) e rete cutis Malpighiana ob nexum, quo intime inter se juncti esse soleant cutis iique capillorum colores — alii e tela quadam spongiosa formari me-

dullam pilorum. — Eble (17) principium medullae pilorum in pulte bulbi cuneiforme latere, unde quasi e fonte suo egressum, filum medullare evadere, parietibus transversis disjunctum: cetera alia, utpote ficta, oculis nec nudis, neque armatis conspicienda, potius imaginatione (apud quosdam physiologos comparatione cum pilorum structura quorundam mammalium) quam veritate rei ipsius innixa, spernenda ac funditus rejicienda censet.

Quid de figura pilorum multa? De quo Loewenhoeck: „quot crinis, tot figura“ quippe quam opinionem non falsam putet Eble (18) — Malpighi: „rotundam, aliquibus etiam quadratam“ — Diemerbroeck (19) praeter has trigonam — Robert Hooek (20) omnibus rotundam — Aristoteles fissam — Weber ellipticam — aliique aliam tribuunt formam.

Pilorum longitudo pro loco et natura diversâ est varia.

1. Capilli, coma, caesaries, pilorum longissimi, tenacitate et duritie pube, infra notatâ, inferiores.

2. Supercilia, (πύλοι) pili cylindracei, breves, rigidi, nitidi, crassi, in apicem tenuissimum abeuntes, apud senes interdum mire incurvati, apud Aethiopes omnino crispis.

3. Cilia (quod oculos celent atque tueantur) palpebrae (a frequenti palpitatione) (βλεφαρίδες) (21) crassitudine, atque elasticitate capillis superio-

ra, iisque reproductione inferiora, ita, ut abscissa ante binos et quod excurrat annos recrescere non possint; haec quoque rarissime canescunt.

4. Tragorum nomine appellantur pili tenuissimi, brevissimi, nitidi, ostio meatus auditorii externi insiti.

5. Vibrissae „quod iis, dum vi evelluntur, caput vibretur“ inveniuntur, ubi cutis in membranas narium mucosas abit.

6. Barba, barbitium, pro locis diversis multis nominibus notatur — sic nomine mystacis, pappi, juli.

7. Hirci, glandebalae, seu grandebalae, seu pili subalares — hi axillas occupant.

8. Pubes, puberale, (ἐφυσαιόν, ἡβη) pili ad partes utriusque sexus genitales.

9. Ceteri corporis superficiei pili nomine lanuginis, seu pilorum stricte sic dictorum appellantur.

Haec pilorum genera strictim attingi, ut loca pilorum proventui pro natura opportuna et apta ad memoriam revocentur.

Color pilorum est diversissimus, cujus fines intra argenteum colorem et nigredinem corvinam terminantur — quibus colores albus, flavus, ruber, fuscus, niger horumque gradus diversi interponi possunt. His praeterea nonnulla quorundam auctorum adjungerem exempla, ubi pilo-

rum color insitus, vel potius innatus, non per fodinarum evaporationem adscitus viridis seu caeruleus fuisse fertur.

## CAPUT SECUNDUM.

### Sectio physiologica.

Existit hoc loco quaestio perdifficilis, quonam modo gignantur pili, de qua quaestione, quum quovis saeculo, diversissimae hypotheses ab auctoribus sint jactatae farraginem sententiarum existere, non est, quod miremur. Quo vero certius ad variorum auctorum opiniones penetremus, hos ipsos audiamus loquentes.

Hippocrates (22) loco alio, aliter rem exposuit „ubicunque in corpore glutinosum existit, ibi pili a calore gignantur“ — „pili maximi et plurimi nascuntur, qua summa corporis cuticula rarissima est, et ubi pilus moderatum habeat humorem, quo nutriatur“ (23) — „ubi glandula, ibi pilus“; (24) „natura, siquidem glandulas et pilos creat, ambo ejusdem utilitatis gratia. Illas quidem, ut quod influit, excipiant, pilos vero, ut ex glandulis opportunitatem

nacti, producantur, et augeantur, quodque in extremas partes redundat et expellitur, colligeant.“ Aristoteles (25) germen quoddam addidit radici pilorum, eorumque ortum partibus quibusdam ad usum omnino inertibus atque inutilibus adscribendum voluit.

Galenus pilorum congenitorum originem nisi corporis animalis formativo, postgenitorum vero „soli facultati expultrici“ (26) tribuit. Alio autem loco: „dam a calore corporis nostri fulginosi crassique vapores a tertia coctione in corporis nostri partibus elevantur, et ad poros cutis pelluntur, in quorum angustiis diu haereant, conglutinentur, donec tandem poro repleto, alius atque alius vapor subiens, hunc impellat, quem vicissim alius atque ita e poro extrudat, ut ejusmodi teres et longum corpus existat, et pilus formetur, qui postea similibus vaporibus succedentibus pilum protrudentibus, ejus radici sese agglutinantibus, prolongetur.“

In hujus theoriae Galenianae adhuc rudis et vulgaris verba et Fabricius ab Aquapendente (27) et Carolus Stephanus, aliique juraverunt.

Adrianus Spigelius (28) tres sibi fingit causas pilorum gignendorum, „materiam efficientem finalem causas.“ —

Realdus Columbus (29) pili alimentum e pinguedine trahunt, itaque augescente eorum substantia, sicca est.

Sennert (30) de „facultate formatrice et pilifica“ loquitur, e qua etiam eluceret, cur mulieres barba deficiantur „quia facultatem pilificam aliis partibus dedit creator;“ huic autem suae facultati pilificae „materiam pilosam“ sanguini commixtam, e qua formentur pili, necessariam putat.

Spigelius (31) „nascuntur, non quidem, ut aliis placuisse video, e fuliginosis cerebri excrementis, sed ex sanguine potius attracto per radicem pili in reliquem truncum.“

Malpighi (32) „pilus notissimum corpus, teres solidum, filamenti instar, quod facillime in quemcunque partem flectitur“ — „pilus planta.“

Diemerbroeck (33) pilorum progeniem „succo cuidam crasso, sicco, terrestri, viscido, ex sanguine alioque quocunque humore genito et specifico modo praeparato“ — deberi.

Ruysch (34) „radices pilorum e glandulis cutaneis plerumque, non tamen semper emergere vidi, eo magis, quod vidimus aliis in locis pilos tam profundos agere radices, ut a pinguedine originem ha-

beri videantur.“ — cui sententiae celeberrimus Boerhave etiam annuere visus est.

Albinus (35) — quamquam in investigatione originis pilorum anatomes face, oculi medicinae, utebatur, tamen haec talia antiquitus repetita fatebatur: „nullus pilus non inhaeret poro cutis. Nullus in cute porus, in quo pilus non inhaereat; in volis plantisque ac respondentibus partibus digitorum, itemque sub ungue in parte interiori praeputii, inque glande penis, ut nullus pilus, sic nullus quoque in cute porus, nulla, cujus exitus sit porus, glandula, quam vocant sebaceam. „Itaque sententia Hippocratica apud eum magnum habuit pondus illa: „ubi pilus ibi glandula.“

Nunc liceat opiniones de pilorum origine novissimas cum supra allatis conferre, inter quas primum obtinebit locum sententia Heusingeriana (36) illa: principio productionis in corio globulos e carbone conflatos, parvulos, nigros, fuscus, illis pigmenti, quo obducitur choroidea similimos secerni, quorum numero et magnitudine adaucto, cutem quasi fumo tinctam aparere. Ex horum globulorum, quasi germinum seu bulborum superficie exoriri gibbera, seu surculos truncorum cylindraceorum formam induentes, eosque, ubi sese elevarint, epidermidem hic resorptam

oblique transire — corticem pilorum formari prius, post hunc medullam.

Eble (37) se quidem hac in re peregrinum et hospitem, tamen arterias, cujuscunque productionis tanquam fontes, nervis stipatas, bulbi tunicas, immo etiam bulbum ipsum, nec non pilorum medullam intrantes vidisse testatur.

De vita pilis tribuenda adhuc sub judice lis est. Quam contentionem Diemerbroeck dijudicatam esse putavit ita: „sunt animati, sed tantum anima vegetante, peculiari, quae cum reliquo corpore nil communionis habet; vivunt per se, nam crescunt etiam post mortem; quemadmodum polypodium in antiquis arboribus, et ante et post earum mortem.“

Saeculo praeterito hoc maxime valuit iudicium: „pili ut plantae“ (38) — quod jam antea Hippocrates, Aristoteles, Galenus, Glissonius, Jaubertus, Tertullianus, Bauhinus viri et arte et facundia insignes, ita iudicaverunt.

Nostris potissimum temporibus (39) vitam quidem pilis tribuendam, sed eam solâ productione innixam, non sensiferam: hanc vero alteram potius in bulbo, vasis et nervis, integrorum systematum partibus gaudente, cujus nutrimentis pilus educetur atque increscat, collocatam putant, contra

atque illi Bichat (40), etiam medullae trunci vitam animalem peculiarem inesse, argumentis non satis firmis suffultus, contendebat.

Restat ut sententias de pilorum incremento paucis absolvamus; de quo Hippocrates; „plurimos nasci, ubi moderatum humorem, quo nutriantur, habuerint.“

Galenus (41) „pili, qui ex humidis et mollibus partibus emergunt, plurimi sunt incrementi, sicuti in capite et barba; quae vero e duris et aridis, exiles sunt, et nullius fere incrementi.“

Pilorum incrementum corporis robore, nimia carbonis capiâ, plagâ frigida, qua exhalatio imminuatur, aëre undique libero, puro et sereno, addo, tonsionae saepe non nimis saepe repetitâ augeri solet.

Etiam de pilis loco suo proprio prorsus evulsis, qui alienis coaluerint partibus, exempla non desiderantur: (42) (43).

Ex multorum opinione, quorum nomina tacita relinquamus, pili etiam post mortem crescentes feruntur — de quibus ab Aristotele acute dictum exstat hoc: „etiam in senectute et defunctis pili augentur, sed non nascuntur“ (scilicet evanescente intugumentorum turgore).



Ruysch (44) pariter atque ille rem eodem se habere modo testatur „sepulcra, dicit, intravi, et nunquam contrarium observavi“ — „vidi nec capillos crevisse, neque unguis post mortem, cum viderem in cinnos complicatos capillos in cadavere muliebri, aequae arcte adhuc craniis adhaerescere, ut in vita.“

Triplex est genus officiorum, quibus pili funguntur; primum resorptionis, deinde expirationis, deinde electricitatis conducendae, immo etiam retinendae. Pili inesse virtutem eandem, quam cuti, epidermide obductae, aëris solvendi, ex eoque oxygenii resorbendi, nos est, quod improbemus (45).

Quamquam pariter de expiratione pilorum disputari possit, tamen qualis sit materies, per pilos exhalata, quaeritur? veri quidem simillimum est, esse illam vaporem eandem, quem invisibilem appellamus; tantum peculiari odore pro locis diverso, discrepantem ab eo, qualem exhalat cutis — quippe quae, ubi pilis obsidetur, sudoris copia sexies majori, quam ubi est nuda, irroretur (46), tum etiam squamulae illae pilis adhaerentes, e materie ad mucii naturam quam proxime accedente excreta, per aërem induratâ formantur (47).

Præterea pili res externas sentiendi

sistunt conductores et conciliatores, partes contegunt, a violentia externa tuentur atque ornant.

## CAPUT TERTIUM.

### Sectio pathologica.

#### Potissimum de anomala pilorum genesi.

Pilorum genesis vocari meretur anomala, primum ubi pili in partibus enascuntur, in quibus secundum normam, regulam et praescriptionem naturae alias eorum nec vestigium ullum investigari solet; denique ubi pili loco quidem, cui par est, certo et definito insiti, tamen tum multitudine, tum longitudine, tum crassitudine, tum tenuitate magis quam partium ac totius corporis saluti conveniat, adauctis, tum formâ, tum colore de statu suo declinant.

Itaque animum advertamus ad primum hujus pilorum anomaliae genus, ejusque

causas, quantum possumus et nobis licet, eruamus; de quo potissimum sententiae stant a plurimis autoribus allatae, quibuscum etiam nos consentimus, hae tales:

Nulla fere neque externa, neque interna existit pars corporis humani, in qua pili non fuerint inventi.

Existunt tamen auctores, qui tales pilos nequaquam pro veris habuerunt. „Pilorum (de uterinis loquitur Stephanus Blancard c. l. pag. 239) generatio quibusdam admodum obscura videbitur, praesertim illis, qui omnia occulta ad occultas qualitates (fascinationes) dirigunt. Certe res quamvis explicatu ardua, hoc tamen dicam, pilos hos nihil aliud fuisse, quam vascula minima, obstructa, quae varie sibi invicem torta, atque a functione desistentia pilorum speciem praebuerunt.“

Pili nothi potissimum his in partibus gignuntur, quae multam cutis, stabilis et propriae pilorum sedis, similitudinem speciemque gerunt — tum etiam, ubi per nimium nutritionis processum multum adipis deponitur, quo fit, ut in pseudoorganismis plerumque, multo impletis et circumdatis adipe, quam saepissime occurrant.

Hujusmodi autem naturae anomaliae, quales omni aera sint observatae, tam in virilis, quam in sequioris sexus hominibus,

tam in castis virginibus atque adolescentibus, quam in libidinosis et luxuriosis, tam in junioribus denique quam in aetate provectoribus utriusque sexus obvenerunt, ita ut e tali diversitate nihil, unde illarum affectionum pateat origo, ratiocinari possimus.

Causa quidem proxima hujus nisus formativi, quasi effusi atque effrenati a norma sua deflectentis plerumque profundius latet, quam, quae sit, oculo humano seu cogitatione perspici possit. At operá et culpá inflammationis (quam praegressam lymphá plastica exsudata, partium adhaesiones, abscessus aperte testantur) seu conditionis cujusdam inflammationi proximae, seu luis venereae atque arthritidis, quippe quae membranas mucosas earumque folliculos muciparos infestissime aggredi solent, graviditatis, menstruorum non bene respondentium, sive omnino suppressorum, nimiae carbonis retenti copiae (uti in lentiginibus et naevis, eorumque vicinitate observari solet) talem pilorum proventum accidere atque invalescere, non est, quod repudiemus.

Ubi in organis lateant internis, uti in ovariis, in quibus saepissime per mensium defectum gignuntur plerumque materia sive adiposa seu cerea, tum fluidiori, tum spissiori, teste potissimo Meckelio (48) cinguntur. Vel pariter, ac ceteri pili e

corio, ita e liberâ, cujusdam cavitatis interna superficie exoriuntur, vel nulli parti adnati, liberi capsulâ quadam, seu vaginâ includuntur.

Duo sunt genera eorum: unius quidem pili ejusdem structuræ, atque illi, qui corporis superficiem occupant, bulbo plane exculto gaudentes, alterius vero radice deficiuntur atque trunci pilorum quasi particulas adipe obvolvuntur, hujusce tamen generis pili nunquam superficiem liberæ inseruntur.

„Quemcunque pilum absque bulbum gigni non posse“ sententia est veri quidem simillima, tamen adhuc non plane evicta, quum interdum bulbum in partibus pilo vicinis maximo cum studio atque operâ perscrutanti atque investiganti videre non est concessum.

Hi tales pili radice destituti initium ex adipe ipso ducunt: hujusque sententiæ auctoritas Saxtorphii, Manfredii, Goochii atque aliorum virorum fide magna dignorum disquisitionibus confirmatur, quippe qui in adipe ipso vasa pilorum gignendorum fontes invenisse contendunt.

Horum pilorum et longitudo et crassitudo et forma et color quam maxime, est inconstans et varius.

Quibus sententiis præmissis, ad singula genera hujus anomalie devenimus, primumque de nimio incremento pilorum in integumentis communibus disseremus.

Multa ab auctoribus proponuntur exempla pilorum nimis longorum, non tam per omnem cutis superficiem longe lateque diffusorum, quam quasdam ejus partes occupantium.

Sic Villermé (a) in urbe Poitiers puerum octo annos natum, vidisse narrat, cujus totum fere corpus plurimis diversae amplitudinis naevis commaculatum atque his in locis setis obsessum fuerit.

Bichatio (b) Lutetiæ Parisiorum occurrit homo, cujus facies à die, quo natus erat, pilis setosis obtegebatur, posteaque elephantiasi correpta, leonis formam et speciem gerebat.

Boyer (c) de femina quadam, cujus crura, dum erysipelate afficiebantur, longis, duris et multis operiebantur pilis narrat.

Dr. Spigelbergero (49) vidua innotuit, quæ duodecim ante annis febrem inflammatoriam perpassa vehementi capitis dolore bis quoque mense vexabatur. Cui adjungebatur hoc paene mirum, quod diebus ternis, quaternis, ex quo exoriebantur dolores, inter propriam huic muliebri co-

mam nigram pili primum fuscī, postea canescentes, intra noctis spatium digito evadentes longi pullulare solebant. Quodsi hi pili intra quatuor dies evulsi fuerant, dolores remittebant nec non evanescebant; sin minus, in cutem quasi retracti dolorem quam vehementissime augebant.

Olivier eximiae pulchritudinis feminam cute tenerrima, alba, pilis nigris vidit, cuius cutis vix dum ipsa gastroenteritiden perpessa erat, anserina facta est, tuberculis obsessa, in quorum apicē pilus exortus magis ac magis incresebat, ita, ut intra mensis spatium fere omnis integumentorum communium superficies, facie et manibus exceptis, hirsuta penitus evasit. Pilorum singulorum longitudo unius fuit pollicis.

Praesto nobis sunt exempla feminarum barbatarum. Hujus mali, si quod est, in causis sunt plerumque officia sexui mulieri propria seu turbata, sive, tum iusto, tum injusto aetatis tempore, omnino sublata, discrimen inter partes utriusque sexus genitales nec certum, neque omnibus, quibus necesse est, numeris absolutum, potissimum quo femina viraginis formae est proxima; vita, teste Pariset, nimis casta.

Nec tamen illud Mercati dictum (d) ad omnes quadrare videtur conditiones hoc: „si barba feminis adnascatur summum ali-

oquin caloris effervescentis atque intempestivae mensium suppressiones indicium.“

Ab Hippocrate divino nobis tradita est morbi historia haec: (e) „Abderis Phaetusa, Pythaeae uxor, priore quidem aetate foecunda erat; cum autem maritus ipsius in exilium abiisset, menses multo tempore suppressi sunt, postea dolores et rubores ad articulos oborti. Haec autem ubi contigissent, et corpus virile factum est, et hirsuta penitus evasit, et barbam produxit et vox aspera facta est. Idem hoc contigit etiam Namysiae, Gorzippi uxori in Thao.“

Alterum nunc anomaliae genus considerandum venit scilicet ubi pili loco injusto insiti inveniuntur.

## I. Membranae mucosae.

In membranis mucosis pili propter magnam cum cute similitudinem saepissime occurrunt. Primum nobis monere libebit anomalam genesin pilorum, ubi cutis in membranas mucosas abit. Neminem certe fugiet malum illud oculis infestissimum distichiaseos (διστιχιάσεως), tristichiaseos (τριστιχιάσεως), tetrastichiaseos (τετραστιχιάσεως), quam vidisse confirmat Albinus (50), Quarri (51) nominibus appellatum, illud

novorum et nothorum quidem pilorum proventum, conjunctivitis plerumque caractere scrophuloso vehementis praegressae, et lenis perstantis ansa et culpa.

Gazelles (52) e tunica oculi cornea ipsa, Wardropius (f) ex ejusdem, Himly (g) e tunicae oculi conjunctivae excrecentiis pilos enascentes, eosque quamquam evellebantur, tamen renascentes vidisse; saepius in scleroticae quam in palpebrarum tunica conjunctiva tales *δύσπικτες* occurrere testatur, cui etiam rei Rosas (53) tribuit testimonium.

Villermé semel atque iterum in externa nympharum superficie, Rhodius in vagina puellae pilos invenisse narrant; quorum virorum observationibus et nostram nuperrime factam adjungerem.

#### Observatio nostra prima.

Anno praeterito in sinem inclinato, ut puellae cuidam octo annos natae, quod fluorem album jam ex anno et dimidio pateretur, medicinam adhiberem, rogabar. Habitus corporis erat illi robustior et florentior quam qui ob aetatem puerilem et malum inveteratum putari posset. Abdomen tamen et labrum superius parum intumescencia, eaque sola de scrophulosi latente suspicionem movebant. Rem diligentius perscrutati cognovimus puellam illam molestá, intolerabili in vagina titilla-

tione vexatam masturbasse, quo facto, fluorem album nonnullis post hebdomatibus pati incipisse. Illud, quid in similibus malis esse soleat, potissimum ascarides in vagina absconditas ratiocinabamur. At partes genitales autopsiae subjectae longe alia, ac suspicati eramus conspicienda praebuerunt. Ad montem veneris et partes huic vicinas nulla pubes — labia et majora et minora laxa, fusca, attamen pilis minimis, tenuissimis, albis, confertis obsidebantur — vulvae os atque omnis vagina patens ita ut duo digiti simul absque ullo impedimento introduci possent — rugarum neque ullum in vagina vestigium, sed omnis ea laevis, pilis brevibus, albidis, confertis cooperta, quorum pluri- mi evulsi unius immo etiam quatuor linearum, nec non dimidii pollicis longi, hi autem tantae longitudinis, hic atque illic passim inter breviores sparsi, asperi, setosi, rigidi, acuminati, erecti, subrufo colore, numero fere viginti. De omnium pilorum bulbo nil certi inter nos constat, Ceterum notatu praecipue dignum id, quod haec puella capillo maxime promisso gaudebat.

---

In membranis cavitatum corporis majorum mucosis pili saepius quam alibi occurrere solent.

Itaque Ford (h) et Jahn in infantis recentis nati faucibus tumorem ubique pilis oblitum brevibus invenerunt. In lingua Amatus Lusitanus (54) in intestinis eisque alibi inhaerentes, alibi liberos per alvum dejectos, Baudamant, Wood, Mermet de Haudewille, Riedlin (55) Blancard, Harrup, aliique invenerunt.

Bichat pilos duodecim cystidis felleae superficiei insitos observavit.

Wedemayer (56) autore Scholzio exemplum accepit tale: „venter mulieris e scala dejectae non ita diu post cum vehementissimis doloribus magnisque molestiis tumuit, et mortuae demum in ventre, sectione facta; grande pilorum concrementum, quod secum tulerat mulier, in conspectum prodiit, unde facile loculentissimae praegressae et anomalae pilorum geneseos ipsius origo et causa apparebunt.

Mirum quoddam habemus auctore Sedillot (57) exemplum: viginti quatuor annorum virgo, quae cum post herpetem exsiccatum, torminibus prae aliis ad intestinum rectum acerrimis adficeretur, fasciculum pilorum ano inhaerentem animadvertit, quem si quis attraheret, dolore novo in superiore intestino recto angebatur. Alvum cum multo spiritu et dolore reddebat. Tribus post mensibus fasciculus ille, trium pollicum longus, quamquam

est abscissus, tamen quoque mense ad eandem fere, qua antea, longitudinem incrementum solebat. Tum alvus injectis clysmatibus ciebatur. Haec puella, ubi quadragesimum quartum attigerat aetatis annum alvo nimis adstricta, pus et reliquum pilorum dejectum est; tunc correpta obiit. Dissecto cadavere, nec pilorum, nec puris, neque ullius vitii organici vestigium; intestinum et rectum et colon maxime dilatata. —

Non possum, quin silentio praeteream *τριχοφάγους*, sive homines, quibus libido est maxime mira ea: pilos devorandi. Itaque caveas ne pilos si in cadaveribus dissectis inveneris, ubique pro indigenis sive *αυτοχθόνες* habeas.

De pilis in renibus Hippocrates (58) quod vitium nomine *τριχιδόσως* appellavit.

In vesica urinaria quoque pili a multis autoribus uti a Schenkio (59) („in vesica urinaria praeter calculos setarum veluti quadam capillamenta non sine diro cruciatu innascuntur ex mucosa equidem materia.“) Horstio (60), Fabricio Hildano (61) Riviero — aliisque inventi feruntur.

De pilis per urinam qui deiciebantur jam Galenus (62), Tulpius (63) „periodi-

cum capillorum mictum *τριχίαιον* conspexere medicorum aliqui, sed admodum pauci at quis reciprocantem ipsius periodum, quam nobis evidentissime obtulit filius consulis Hornani? Affectus quatuor annos ab hoc inusitato capillorum mictu, qui identidem revertebatur, quolibet decimo quarto die, cum insigni urinae difficultate et tanta perturbati corporis inquietudine, ut vix se contineret in cubili. Aequantibus singulis pilis modo medium, modo vero digitum integrum, sed muco ita involutis, ut raro separatim, sed plerumque prodierint conglobatim. Durante qualibet accessione dies ferme quatuor, in quibus licet continenter et moleste redderet urinam, transegit tamen reliquos dies sine ullo cruciatu, ullove capillorum mictu, usque dum postlimio repeteret consveta reciprocandi ratio."

Ruysch (i) exempla attulit atque alii, inter quos Uvrius (k) hoc memorabile: feminam quae ex longe jam tempore calculorum renalium valetudine excruciebatur — primum lanam longam, tenuem, interdum convolutam, dein spissam, in membranas contextam, denique praeter priora, fila digiti longa, uno apice truncata, altero acuminata cum urina simul emisisset.

Professor Dr. Rathke sibi hominem innotuisse narrat, eumque arthritide affec-

tum, qui quibusdam anni temporibus, cum maxima urinae difficultate pilos mingebat.

Ceterum tale quid jam apud Plinium, Rhodiumque invenitur.

### Observatio nostra secunda.

Vesica urinaria in Musaeo Dorpatensi pathologico servata haec memoratu digna praebuit. Quod autem de morbi historia hominis, cujus organon hoc erat, omnino siletur, est id, quod semel atque interum dolemus. Illud quoque nobis accessit incommodum, quod vesica illa jam corrugata et exsiccata in manus nostras pervenit, quippe quae, quamquam madefacta, quantumque heri potuit et revoluta et laevigata, tamen multa, quae in recentiori accuratius investigari potuerint, quin explorarentur, detenuerit. Nunc ad descriptionem aggrediamur ipsam, quam, quantum in nostra est manu explicatam et veram reddere studebimus.

Vesicae hujus virilis forma figuraque perfecta et regularis est, nullo modo, uti est visa, neque exterius neque interius depravata; in membranae mucosae superficie conspiciuntur haec talia: cooperitur tota illa pilis confertis, hic cylindraceutis, illic acuminatis, illic complanatis, hic crispis, illic angulosis, illic rectis et planis,

apice tum integro, tum horum, qui setorum formam gerebant lisso; coloris diversissimi et albi, et rubicundi, et fuscii, et nigri, et flavi et cani et crocii (immo etiam unus pilus caerulei erat coloris); unius et binarum linearum nec non binorum ferre pollicum longi — alii bulbo gaudentes superficiei insiti — tum situ erecti, tum superficiei vesicae paralleli — ceteri bulbo deficientes undique liberi, nulli insiti parti.

Etiam in utero pili inveniebantur testibus Malpighio, Fabricio Hildano (64) qui in femina uterum octaginta librarum pilis lanuginosis, luteis, sanie atque adipem imbutis, impletum vidisse confirmat.

## II. In membranis serosis.

Observationes de pilis in membranis serosis inventis non solum ceteris rariores, sed etiam a plurimis autoribus in dubium vocantur, itaque nos suspensos detinent. Sunt autem alii, qui cor pilis obsitum vidisse contendunt, apud quos de „corde villoso“ sermo est. Quodsi tale quid olim acciderit, forsitan suspicari possumus, membranam cordis externam, quae est serosa, et lympham plasticam exsudatam formasse fila quae magnam pilorum similitudinem gere-

rent — secunda fila illa fuisse vascula minima obstructa. — Penada (1) in corde anatis plumarum invenit fasciculum.

## III. In membranis fibrosis.

Morgagni (m) huius generis unum eamque solam quae adhuc exstat, proposuit observationem in foetu acranio factam, ubi in tentorio cerebelli materiam adiposam, cui capsula pilis repleta inserebatur, invenit.

## IV. In folliculis.

Pili folliculis sive tumoribus inclusi hic illic passim per totum corpus sparsis quam saepissime inveniuntur. Tales tumores, quodsi superiores, uti non raro fit, occupant palpebras, pilos cum ciliis aequandos continere solent.

Pitet (n) Ruysch, Hoffman (o), Hunter (p) ad cutem immo etiam inter musculorum spatia tales folliculos invenerunt. Hunterus (65) duo atheromata pilis repleta delineanda curavit, unumque tale eximiae magnitudinis in omento feminae hydropem affectae invenit.



Frank ad hepar viri hypropici duarum ulnarum folliculum, materiam et adiposam, pultaceam continentem, infra pilis obsesum confertis, vidisse narrat.

### Ovaria.

In ovariis quam saepissime hi tales tum ex adipe, tum e pilis, tum e dentibus constantes tumores, sibi sedem singunt, rarius in utraque, quam in uno alterove. Numerus exemplorum ab auctoribus allatorum, major est, quam qui intra angustiora libelli nostri limina induci possit.

Prius quam huic commentationi finem inponimus, restat monere id, quod in testiculis etiam pili fuerunt inventi, cujus observationis unum, idque solum auctore Schumacher (66) exstat exemplum.

### LOCA CITATA.

- 1) Gabriel de Zerbis lib. anat. corp. hum. sub titulo: anatomia pilorum fol. 15. —
- 2) Fortunat Licet. de Lucern antiquitat. Lib. I. cap. 2 pag. 8 et Lib. IV. — 3) Lehre von den Haaren 2. Bnd. pag. 10. — 4) Lettre écrite à Mr. Regis sur la structure de cheveux. Montpellier 1688. — 5) Gaultier. Dissert. sur le système cutané de l'homme. Paris 1811. —
- 6) Mayer Beschreibung des menschl. Körpers 1. Bnd. pag. 192. — 7) Meckel Handbuch der Anat. 1. Bnd. pag. 596. — 8) Bichat. Anat. general. tom. 4. — 9) Ruysch. Thesaur. anat. V. No. II. — 10) Kaauw. Perspiratio etc. pag. 148. — 11) Haller. Element. physiolog. Vol. V. pg. 35. — 12) Bichat Op. c. — 13) Eble. Op. c. II. Th. pag. 22. — 14) Monge. Annal de chimie Tom. VI. pag. 300. — 15) Olivier. Diction. de medicine. Art. poils. — 16) Op. I. pag. 25, 29, 30. — 17) Op. I. Bnd. II. pg. 35. — 18) Diemerbroeck. Opp. posthuma de pilis observat. pag. 95. — 19) Hook. Opp. omnia med. et anat. Genev. 1687. — 20) Hippoc. Coac. Aphor. 218 et Aristoteles. Historia animalium 9, 2 part., anim. 15. — 21) Bauhini. Theaur. anat. lib. III. pg. 363. — 22) Hippoc. opp. omn. de carnibus pag. 252. — 23) Hippoc. natura pueri pg. 240. — 24) Hippoc. de glandulis pg. 271. — 25) Aristoteles. histor. Lib. III. cap. II. — 26) Hipp. de usu partium. de pilis cap. 14 pg.

378—379. — 27) Fabrizzius ab Aquapendente. Opp. omnia physic. et anat. A. 1665 de pilis pg. 445. — 28) Adrianus Spigelius. De humani corporis fabrica 1545. — 29) Realdus Columbus. de re anat. pg. 255. — 30) Sennert, opp. omnia pars. III. sectio II. cap. I. de pilor. natura. — 31) Op. I. lib. X. cap. I. pag. 369 de capillis. — Malpighi, op. posthum. de externo tactus organo. — 33) Diemerbroeck. Opp. omnia anat. et med. Genev. 1687. — 35) Ruysch. Thesaur. animalis VIII. No. 97. 2. 1692. — 35) Albinus. Anatomie academ. — 36) Meckels Archiv 7. Bnd. II. Hft. pg. 403. — 37) Op. I. II. Th. pag. 113—114. — 38) Diss. E. Burri Dr. med. Paris 1785. An pili plantae? — 39) Eble. op. I. pag. 118. — 40) Bichat. Archiv. VII. 3. — 41) Galenus. II. de usu partium 14. — 42) Tieffenbach. nonnulla de transplantatione et regeneratione diss. — 43) Wiesemann de coalitu partium a reliquo corpore prorsus disjunctarum. Lipsiae 1824. — 44) Ruysch Adversariorum decas II. pg. 46. — 45) Eble. I. I. pg. 151. — 46) Eble. I. I. pg. 160—161. — 47) Eble pg. 162. — 48) Meckels Archiv für Physiologie Bnd. I. pg. 519—37. — 49) Dr. Spiegelberg. Abhandlung der Akademie der Naturforscher 9. Thl. 12te Wahrnehmung. — 50) Albinus. Anat. academ. lib. III. cap. 8. — 51) Quarri. Ueber die Krankheiten der Bindehaut des Auges pg. 43. — 52) Gazelles. Journal de medicine. Tom. XXIV. — 53) Rosas. Handbuch der Augenheilkunde II. Bnd. pg. 239. — 54) Amatus Lusitanus. Cent. cur. 65 pg. 263. — 55) Riedlin. Ephemerid. naturae curios. dec. III. obs.

169. — 56) Wedemeier. Comment. ad hist. pathol. pilor. pg. 57. — 57) Sedillot. Journal general de Medicine Tom. X. Lib. VI. oder Salzburger med. Zeitung 1813 pag. 315. — 58) Hipp. Aphor. lib. IV. aph. 76. — 59) Schenk. Obs. med. lib. III. Sect. II. obs. 304. — 60) Horst. Obs. med. centur v. obs. 30. — 61) Opp. med. Tom. II. pg. 249. — 62) Galenus. 4. Aphor. 76. — 63) Tulpius. Obs. med. Lib. II. cap. 51. — 64) F. Hildanus. Centurio v. — 65) Hunter. Thesaur vi. Tab. 4. fig. 5 et 6. — 66) Schumacher in Schaarschmidt medic. und chirurg. Nachrichten 3ter Jahrgang pag. 91. — a) Ebles Lehre von den Haaren II. Bnd. pg. 40. — b) ibidem. — c) Boyer Praelections. — d) Eble I. c. — e) Hipp. Lb. VI. Epidemie Sect. VIII. pag. 123. — f) et g) Eble I. c. — h) ibid. — i) Ruysch. Thesaur nov. No. 50. — k) Uvrius de praestig. daemon c. 15. — l) Penada Ep. anat. XX. 58 Voigtel path. anat. Bd. 2. S. 14. — m) Eble I. c. — n) Bullet de l'ec de ned. an XIII—XIV. p. 225. — o) Hffm. Eph. n. c. dec. II. a. v. e. 210 pg. 433. — p) Baillie in pl. fr. v. d. 79 P. 77.

**THESES DEFENDENDAE.**

- I. Therapia in typho, quo simplicior, eo opportunior.**
  - II. Synchondrotomia rejicienda.**
  - III. Nulla sunt certa signa graviditatis.**
  - IV. Pulmones in aqua natantes foetum jam respirasse non probant.**
  - V. Dictum: cessante causa, cessant effectus, falsum est.**
-